



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

S. Carolus Borromæus. 4. Novembris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

perierunt deinde oves, urbe & vitâ amissâ; quod ipsum bonâ fide illis, se d non sine lacrimis MILVS vaticinatus est. Alteri etiam Episcopo impendentem è cælo vindictam prædixit; cumque ille non audiret, verborum tonitrua fulmen excepit, & surdas aures correxit. Virum principem gravi ægritudine decumbentem, admotis non manibus, sed precibus absens curavit. His atque aliis adduxit longè plurimos, in Christi leges ut jurarent; sed non regem etiam, qui multis suppliciis excruciatum MILVM ferro devovit, & carnificis munus cum fratre divisit. Hos quoque semianimis Divus adproperantem Nemesis iussit cavere. Nec nisi diem hæc abfuit. Postridie enim, dum ambo cervum fugientem jaculo insequuntur, ambo exerant, sed mutuis se vulneribus fratres conficiunt. I, seram cæli vindictam memora, quando cervo & jaculo ocyor venit. *Ex Menais.*

Quidquid aliis accidit, tibi accidere potest: quia homo es; homo de humo, limus de limo; de terrâ es, & de terrâ vivis, & in terram revertêris, quando veniet dies ultima, qua subito veniet, & forsitan hodie erit.
S. Bern. in Medit.

S. CAROLUS BORROMÆUS.

4. Novembris.

ERubescant, puro, ad CAROLI purpuram omnes purpurati. Reditus Ecclesiasticos, nec ab illustriſſimo parente aliter quam in pauperum usus verti patiebatur. Galero & infulâ insignis Parochorum vitam ipse inspicere, ipse morbidas ovis curare, ipse pro suggestu his acclamare, ipse Sacramentis pascere. Quid hîc illi animarum pastores, qui suum numquam numerant, quin neque

noverunt gregem? Atqui ille, quæ diximus, tunc fecit, cum provinciam dira lues famelique popularetur, quando, ut Christum operiret, parietes aulais, se lectulo etiam nudavit. Pestem supplicationibus avertit ad DD. pulvinaria institutis, in quibus ipse nudus pedes, funeque in collum injecto, crucem prætulit, & in hæc clavum ex illis unum, è quo nobilissimum olim anathema Servator pependit. Porro authoritati Ecclesiæ vitam posthabuit; & suam purpuram suo iterum sanguine pinxisset, nisi globus Divum jussus ferire à tergo ad pedes delapsus esset. Puer, cum alii ludos, ipse VIRGINIS templa obibat. Præter Horas Canonicas, etiam Marianas quotidie dixit, & dicta domesticis voluit. Sub MARIÆ nomine collegium adolescentulis nobilibus extitit. MARIÆ statuam ante omnium templorum portas posuit. Hujus icone armari omnes milites suos voluit, forti utique clypeo. Mitto cætera, hoc addo: alios purpura, CAROLVS purpuram ornavit. *Ex vitâ.*

O si consideravemus, quis sit Deus iste, qui nos dignatur aspicere, cui tam gratum est, quidquid pro salute animarum sit, quàm avidè & promptè curremus: omnes, dicentes, Domine, Ecce ego, mitto me! S. Car. Berrom. Concion. 4. in Syn. xi. habitâ.

S. JOANNICIUS C. 4. Novembris.

Quid aula confers, si sanctiùs in caulâ vivimus? Dum gregem pascit, ovis est JOANNICIVS; dum eVectus a fortunâ latus jam Isaurici Leonis stipat, in lupum abit, & rabiosâ hæresi correptus tristè terris & cælo ululat. Exi, ah! aulâ exi, JOANNICI, si exire errore gestis. Audit talia monentem Anachoretam; sequitur vocem, ab

aulæ